

DECRETUM URBIS ET ORBIS

---

¶ NNI Sacri a Beatissimo Patre et Domino Nostro LEONE XIII feliciter indicti, proxime celebraturos initia, summopere decet nocte surgentes adire sæculi Auctorem, ad eius aras provolvi, acceptissiman offerri Hostiam, divinum scilicet Agnum, sacro convivio interesse, ut opportuno maxime tempore liceat auxilium, gratiam, misericordiam invenire : *Nunc enim propior est salus. Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis.* Quod si regnum cælorum, id est præsentis temporis Ecclesia, simile esse perhibetur decem virginibus sponso de nocte occurribus, hac potissimum solemnî faustitate licet uniculque mentem acc'ratius in sacra illa verba intendere : *aptate vestras lampades : ecce sponsus venit exite obviam ei.*

Gum insuper media nocte postremæ diei mensis Decembbris futuri anni præsens absolvatur sæculum novumque habeat initium; valde congruum est, ut pio quodam ac solemnî ritu Deo gratiæ agantur pro acceptis huius decursi sæculi beneficiis, et potiora impetrentur, urgente præsertim necessitate temporum, ad novum sæculum auspicato ineundum.

Itaque ut imminens annus MCM ab implorata Dei ope Eiusque Unigeniti Filii. Servatoris nostri sumat auspicia idemque prospero cursu finiatur, longe felicius